

## INCERTI AUCTORIS PHOENIX LACTANTIO TRIBUTUS.

Est locus in primo felix oriente remotus,  
Qua patet aeterni maxima porta poli;  
Nec tamen aestivos, hyemisque propinquus ad  
[ortus;  
Sed qua Sol verno fundit ab axe diem.  
5 Illic planities tractus diffundit apertos:  
Nec tumulus creseit, nec cava vallis hiat.  
Sed nostros montes, quorum juga celsa pu-  
Per bis sex ulnas eminet ille locus. [tantur,  
Illic Solis nemus est: stat consitus arbore multa  
10 Lucus perpetuae frondis honore virens.  
Cum Phaethontæis flagrasset ab ignibus axis,  
Ille locus flammis inviolatus erat.  
Et cum diluvium mersisset fluctibus orbem,  
Deucalionæas exuperavit aquas.  
15 Non huc exanguis morbi, non agra senectus,  
Nec mors crudelis, nec metus asper adit;  
Nec scelus infandum, nec opum vesana cupido,  
Aut Mars, aut ardens cædis amore furor.  
Luctus acerbus abest, et egestas obsita pannis,  
20 Et curæ insomnes, et violenta fames.

A Non ibi tempestas, nec vis furit horrida venti;  
Nec gelido terram rore pruina tegit.  
Nulla super campos tendit sua velleræ nubes;  
Nec cadit ex alto turbidus humor aquæ.  
25 Sed fons in medio est, quem vivum nomino  
[dicunt,  
Perspicuus, lenis, dulcibus uber aquis.  
Qui semel erumpens per singula tempora  
[mensum,  
Duodecies undis irrigat omne nemus.  
Illic genus arborum procerum stipitem,  
30 Non lapsura solo initia poma gerit.  
Hoc nemus, hos lucos avis incolit unica  
Unica, sed vivit morte relecta sua. [Phoenix:  
Paret, et obsequitur Phæbo memoranda satelles:  
Hoc natura parens minus latere dedit,  
35 Lutea cum primum surgens duriora rubescit,  
Cum primum rosea sidera luce fugat:  
Ter quater illa pias immergit corpora in undas;  
Ter, quater e vivo gurgite libat aquam.  
Tollitur, ac summo cœdit in arboris altæ

### ANNOTATIONES.

*Incerti auctoris.* Carmina hæc, quæ in libris impressis Lactantio tribuuntur, in nullis antiquis codicibus inveni. Ea tamen legimus in ms. Sangermanensi, nisi non antiquo Phœnicis carmina Lactantii non creduntur, saltem christiani, quamvis sint ab elegantissimo aliquo poeta scripta, quem tamen certo credo non fuisse christianum. Nam Phœnicem nominat Solis sacerdotem; et sic de nemore illo loquitur, et de Phæbo, tanquam ille revera sit deus, et habeat nemus illud clarissimum, ac sibi dicatum. Carmina autem illa de resurrectione, sive de pascha, quod ad elegantiam spectat, cum illis de Phœnice comparari non possunt; et ex ipsis apparet manifeste non eundem fuisse eorum auctorem. Hæc vero inter opuscula Venantii Fortunati, poetæ christiani, quæ sunt in bibliotheca Vaticana, ab optimo et litterato viro Antonio Girona admonitus, inveni; de quibus postmodum aliqua annotabo. Illius tertii poematis, de Passione Domini, nullam vestigium usquam invenire potui: in quo tamen non multi errores reperiuntur, ut diligentia emendationis in eo non valde fuerit necessaria. Thomas Erasmus non inconcinnè esse carmina Phœnicis iudicat, sed nemo potest affirmare esse Lactantii: de his enim non loquitur Hieronymus, ubi agit de Auctoris nostri operibus. Nicolaus Heinsius Lactantii genuinum in eo lectum agnoscit et prædicat.

*Phoenix.* Tota hæc Phœnicis historia inter fabulas annoveranda est. Nolumus tamen omittere, ne aliquid desit huic nostræ Editioni; atque hæc Carmina contulimus cum ms. Sangermanensi.

Vers. 1. *Primo oriente.* Id est, in Arabia, ubi fabulantur Phœnicem habitare. Multi tamen apud Indos ædema statuisse Phœnicem dicunt: qua de re Ausonius et Claudianus.

Vers. 2. *Qua patet.* Lege apud Ovidium initio ii libri *Metamorphos.* Regiæ solis descriptionem elegantissimam.

Ibidem. *Maxima porta poli.* Ita ms. Sangermanensis. Editi habent *Janua celsa poli*: sed minus bene, ut videtur, propter *Juga celsa*, quæ leguntur vers. 7.

Vers. 4. *Sed qua.* In ms. Sangerm. *In quo.*

C Vers. 6. *Nec tumulus creseit,* etc. Ergo plana sunt omnia, nec fraudi datur locus. Nam juxta Virgilium *Æneid.* ii:

Est curvo anfractu valles accommoda fraudi.

Vers. 9. *Stat.* Sic legunt Nicol. Heinsius et Heumannus. Alii editi legunt *et*.

Vers. 10. *Honore virens.* Quia frondes sunt honor et pulchritudo arboris. Ms. Sangerman. et editi 1472, 1478, 1497, et alii legunt *virens*; editi vero vulgares legunt *viret*.

Vers. 11. *Phaethontæis.* De hac fabula vide Ovidium, lib. ii *Metamorph.*

Vers. 14. *Exuperavit aquas.* Quod falsum est, si intelligatur de diluvio universali, quod exuperavit etiam altissimos montes. Attamen de solo Deucalionis diluvio hic agitur, quod universale non fuit.

Vers. 15. *Huc.* Ita editio Aldina: verum editi 1472, 1478, 1497, et 1515 legunt *hunc*.

Ibidem. *Exanguis morbi.* Morborum vulgare epitheton. Sic Ovid. lib. xv *Metamorph.*:

Pallidaque exangui squallebant corpora morbo.

Vers 18. *Aut Mars,* etc. Ms. Sangerman. legit

Aut metus, aut ardens cedit amore furor,

idque minus bene; nam de metu jamjam locutus est.

Vers. 22. *Rore pruina tegit.* De roris et pruina differentia vide Aristotel. in *Meteorologicis*, lib. i, cap. 10.

Vers. 25. *Sed fons,* etc. Hic fons multis nominibus illustratur: *vivus* enim est, *perspicuus*, *lenis*, *dulcis*.

Vers. 27. *Mensum.* Pro *mensium*.

Vers. 31. *Unica.* Sic de Phœnice; unde proverbium, *Phœnice rarior*.

Vers. 32. *Sed vivit.* De hoc vide infra *Ænigma xxxi*, ubi de Phœnice ait, *vita mihi mors est*, etc. De Phœnicis resurrectione vide Ovidium in *Metamorph.*, et Tzetzen, in varia historia.

Vers. 33. *Obsequitur Phæbo.* Credidit antiquitas aves, sicut et arbores, diis esse sacratas: sic Aquila Jovi; Columba Veneri; ita et Phæbo Phoenix.



- 40 Vertice, quæ totum despicit una nemus :  
Et conversa novos Phœbi nascentis ad ortus,  
Expectat radios, et jubar exoriens.  
Atque ubi sol pepulit fulgentis limina portæ,  
Et primi emicuit luminis aura levis ;
- 45 Incipit illa sacri modulamina fundere cantus,  
Et mira lucem voce movere novam :  
Quam nec Ædoniæ voces, nec tibia possit  
Musica Cyrrhæis assimilare modis.  
Sed neque olor moriens imitari posse putatur,
- 50 Nec Cyllenææ sili canora lyræ.  
Postquam Phœbus equos in aperta refudit olympi,  
Atque orbem totum protulit usque means ;  
Illa ter alarum repetito verbera plaudit  
Non errabilibus nocte dieque sonis.
- 55 Atque eadem celeres etiam discriminat horas ;  
Igniferumque caput ter venerata, silet :  
Antistes nemorum, et luci veneranda sacerdos,  
Et sola arcanis conscia, Phœbe, tuis ;  
Quæ postquam vite jam mille peregerit annos.
- 60 Ac se reddiderint tempora longa gravem ;  
Ut reparet lapsum fati urgentibus ævum,  
Assueti nemoris dulce cubile fugit.  
Cumque renascendi studio loca sancta reliquit ;  
Tunc petit hunc orbem, mors ubi regna tenet.
- A 65 Dirigit in Syriam celeres longæva volatus  
Phœnicis nomen cui dedit ipsa Venus ;  
Secretosque petit deserta per avia lucos,  
Hic ubi per saltus silva remota latet.  
Tum legit aerio sublimem vertice palman
- 70 Quæ gratum Phœnix ex ave nomen ha  
Et qua nulla nocens animans perrumpere  
Lubricus aut serpens, aut avis ulla rap  
Tum ventos claudit pendentibus Æolus a  
Ne violent flabris aera purpureum ;
- 75 Non concreta Noto nubes per inania cœli  
Summoveat radios solis, et obsit avi.  
Construit inde sibi seu nidum, sive  
[ch  
Nam perit, ut vivat : se tamen ipsa cr  
Colligit hinc succos et odores, divite silv
- B 80 Quos legit Assyrius, quos opulentus Ar  
Quos aut Pygmææ gentes, aut India carp  
Aut molli generat terra Sabæa sinu.  
Cinnama dehinc, auramque procul s  
[a  
Congerit, et misto balsama cum folio.
- 85 Non casia mitis, nec olentis vimen acan  
Nec thuris lachrymæ, guttaque pingui  
His addit teneras nardi pubentis aristas,

## ANNOTATIONES.

Vers. 40. *Despicit*. Quia quodammodo aliæ arbores huic sunt inferiores.

Vers. 44. *Aura levis*. Sic Ovidius :

Et levis impulsos retro dabat aura capillos.

Vers. 46. *Movere*. Sic ms. Sangerman. Editi habent *ciere*. Variant tamen libri. Heinsius opinatur legendum esse *fovere*.

Vers. 47. *Quam nec Ædoniæ*. Locus corruptus. Ms. Sangerman. habet *Idoneæ* : editi legunt *Julææ*. At juxta Gallæum, Frideric., Gronovius et Heinsius emendaverunt *Ædoniæ*.

Vers. 48. *Cyrrhæis*. Id est, Castaliis modis musicis, vel Musarum et Apollinis ; *Cyrrha* siquidem oppidum est ad radicem montis Parnassi.

Vers. 50. *Cyllenææ*. Quasi dicat Mercurialis, quia Mercurius Cyllenæ natus est. Hinc Mercurius ipse *Cytlennus* vocatur a Claudiano i libro de Raptu Proserp.

Vers. 51. *Postquam Phœbus equos*, etc. Hoc est, postquam sol supra horizontem ascendit. De fabula Phaetontis vide Ovidium in *Metamorph.*

Vers. 53. *Illa ter alarum*, etc., usque ad *Antistes nemorum*. Ms. Sangerman. sic legit quatuor ista carmina :

Illa ter alarum repetito verbera plaudit,  
Igniferumque caput ter venerata, silet.  
Atque eadem celeres etiam discriminat horas  
Non errabilibus nocte dieque sonis.

Sed minus bene, ut puto. *Celeres horas* ; horas enim solis comites facit Ovidius.

Vers. 59. *Jam mille peregerit annos*. Sic etiam Claudianus ad mille annos vitam Phœnicis producit ; Plinius vero tantum ad 650, quamvis id fabulosum putet : alii etiam breviorum statuunt terminum.

Vers. 61. *Lapsum fati*. Sic emendavimus cum Gallæo et ex ms. Sangermanensi : editi habebant *lassum spatiis* : sed sine sensu.

Vers. 66. *Venus*. Sic Heumann. legit. Ea culta erat in Syrophœnice. In editis est *vetus*.

Vers. 69. *Sublimem Palmam*. Quam arborem inter

eas quas fert Syria, Plinius numerat, scilicet l. cap. 4.

Vers. 71. *Et qua nulla nocens animans*, etc. C. bet ms. Sangerman. Editi vulgares legunt :

Quam nec dente nocens animal perrumpere potest.  
Heuman. vero,

In quam nulla nocens animans perrumpere potest cum editis 1472, 1478, 1513 et 1515, quod cum nostra lectione.

Vers. 74. *Flabris*. Id est, *flatibus*.

Ibidem. *Purpureum aera*. Forte intelligit nas horas, quas auroram vocamus.

Vers. 75. *Noto*. Ventus iste nubes colligit. a Plinio astuosus appellatur.

Ibidem. *Per inania cœli*. Id est, mediam aegionem.

Vers. 77. *Sepulcrum*. De sepulcro quod silphium condit, vide Claudianum in Epigram. his

Arentes tepidis de collibus eligit herbas,  
Et cumulum texens pretiosa fronde Sabæum,  
Componit, bustumque sibi partumque futurum.

Vers. 80. *Opulentus Arabs*. Sic de Arabibus titulus :

Otia divitiis Arabum liberrima cantat.

Id tamen intellige de Arabia felici.

Vers. 81. *Pygmææ gentes*. Quas veteres quidam nunt in India, alii ultra Arabiam : sed quæ gente narrantur fabulæ sunt.

Vers. 82. *Terra Sabæa sinu*. Sic Virgil. lib.

India mittit ebur, molles sua thura Sabæi.

Vers. 83. *Cinnama*. Versum istum sic legit Sangerman. :

Cinnamum hic avisque procul spirantis amomi

Vers 85. *Casia mitis*. Casia veterum non ea ac recentiorum,



- Et sociat myrrhæ pascua grata nimis.  
 Protinus in strato corpus mutabile nido,  
 90 In talique thoro membra quietata locat.  
 Ore dehinc succos membris circumque supraque  
 Injicit, exequiis immoritura suis.  
 Tunc inter varios animam commendat odores;  
 Depositi tanti nec timet illa fidem.  
 95 Interea corpus genitili morte peremptum  
 Æstuat, et flammam parturit ipse calor;  
 Æthereoque procul de lumine concipit ignem:  
 Flagrat, et ambustum solvitur in cinerem.  
 Quos velut in massam cineres in morte coac-  
 [tos]  
 100 Conflat, et effectum seminis instar habet.  
 Hinc animal primum sine membris fertur  
 [oriri:] B  
 Sed fertur vermi lacteus esse color.  
 Crevit in immensum subito cum tempore certo,  
 Seque ovi teretis colligit in speciem:  
 105 Inde reformatur, qualis fuit ante figura,  
 Et Phoenix ruptis pullulat exuviis.  
 Ac velut agrestes, cum filo ad saxa tenentur,  
 Mutari tineæ papilione solent.  
 Non illi cibus est nostro concessus in orbe;  
 110 Nec cuiquam implumem pascere cura subest.  
 Ambrosios libat cælesti nectare rores,  
 Stellifero tenues qui cecidere polo.

- A Hos legit; his alitur mediis in odoribus ales,  
 Donec maturam perferat effigiem.  
 115 Ast ubi primæva cœpit florere juvena,  
 Evolat ad patrias jam reditura domos.  
 Ante tamen, proprio quicquid de corpore res-  
 [tat,]  
 Ossaque, vel cineres, exuviasque suas;  
 Unguine balsameo, myrrhaque, et thure so-  
 [luto]  
 120 Condit, et in formam conglobat ore pio.  
 Quam pedibus gestans contendit solis ad ortus,  
 Inque ara residens, ponit in æde sacra.  
 Mirandum sese præstat præbetque videnti;  
 Tanta ibi decor est, tantus abundat honor.  
 125 Principio color est, qualis sub cortice lavi,  
 Mitia quem croceum punica grana legunt.  
 Qualis inest foliis, quæ fert agreste papaver,  
 Cum pandit vestes Flora rubente polo.  
 Hoc humeri pectusque decens velamine ful-  
 [gent;]  
 130 Hoc caput, hoc cervix, summaque terga ni-  
 [tent.]  
 Candaque porrigitur fulvo distincta metallo,  
 In cujus maculis purpura mixta rubet.  
 Clarum inter pennas insigne est desuper, Iris  
 Pingere seu nubem desuper alta solet.  
 135 Albicat insignis mixto viridante smaragdo;

## ANNOTATIONES.

- Vers. 88. *Et sociat myrrhæ*. Ms. Sangerm.:  
 Et sociam myrrhæ vim Banachea tuam.  
 alii:  
 Panathea thure.  
 Vers. 89. *Mutabile*. Ms. Sangerm., *mutabile*.  
 Vers. 90. *In talique thoro*. Sic ms. Sangerman.  
 Editi habent:  
 Vitalique thoro membra quietata locat.  
 Vers. 95. *Genitili morte*. Antithesis.  
 Vers. 96. *Æstuat*. Verum non est corpus mor-  
 tuum ita æstare, ut flammam generet; melius itaque  
 Claudianus, qui flammam ad solis radios refert.  
 Ferret odoratus telis (*id est radiis*) cælestibus agger,  
 Consumitque senem.  
 Vers. 97. *Æthereoque*. Sic ms. Sangerm.; editi  
 vero habent *Aerique*.  
 Vers. 99. *Quos*. Ita ms. Sangerman.; editi *Hos*.  
 Vers. 100. *Conflat*. In ms. Sangerman., *constat*.  
 Vers. 102. *Vermi*. Sic ms. Sangerm.; editi *Vermis*.  
 De Vermis loquitur Plinius, non vero Claudianus.  
 Vers. 103. *Crevit*. Forte *crescit*.  
 Vers. 104. *Ovi*. Nil de ovo Claudianus.  
 Vers. 107. *Ac velut agrestes, cum filo ad saxa te-  
 nentur, Mutari tineæ papilione solent*. Admonuit Tho-  
 masium vir doctiss. Didacus Covarruvias, episcopus  
 Segobiensis, ut in secundo versu loco *pennæ*, scri-  
 beretur *tineæ*, quod valde probandum est. Nam *tineæ*  
 sunt vermes illi ex quibus serici papilioes nascun-  
 tur. Hoc vero in loco videtur poeta imitari voluisse  
 Ovidium, libro ultimo *Metamorph.*, qui de hac eadem  
 mutatione sic ait:

Quæque solent canis frondes intexere filis  
 Agrestes tineæ, res observata colonis,  
 Ferali muteat cum papilione figuram.

- C Ac sane non dubito quin pro illo nomine, *pennæ*,  
 legendum sit, *tineæ*, sed in priori versu, illa: *filo ad  
 saxa tenentur*, videntur mihi non satis cum re ipsa  
 convenire, cum fila illa potius ad frondes, vel ad  
 ramos ducantur, quam ad *saxa*; propterea puto po-  
 tius legendum *tineæ*, quam *saxa*. Hæc ait THOMASIVS.  
 Vers. 109. *Non illi cibus*. De cibo Phœnicis vide  
 Claudianum in Epigram. de Phœnice, versu 13, etc.  
 Vers. 111. *Ambrosios*. Apud poetas Ambrosia cibus,  
 nectar potus deorum est: sic Martialis:  
 Jupiter Ambrosia satur est, et nectare vivit.  
 Vers. 112. *Tenues*. Id est, *rores tenues*. Ita ms. a  
 Galileo laudatus. Editi habent *teneri*, quod refertur  
 ad *rores*, et sensum elegantem facit. *Polo*, id est,  
*cælo*.  
 Vers. 115. *Alitur mediis*. Sic ms. Sangerman. et  
 editi 1472 et 1478. Vulgati legunt *mediis alitur*, sed  
 male.  
 D Vers. 114. *Perferat*. Ita codex Sangermanensis et  
 alii. In editis vero *proferat*, sed minus bene.  
 Vers. 116. *Patrias domos*. Sic ms. Sangerman., alii  
*primas domos*.  
 Vers. 117. *Ante tamen*, etc. Hac de re vide Clau-  
 dianum in Epigram. de Phœnice, vers. 72, qui concor-  
 dat cum iis quæ hic dicuntur.  
 Vers. 125. *Sub cortice lavi, Mitia quem croceum*. Ita  
 Heumannus ex emendatione Nicol. Heins. Editi vero  
 habent *qualis sub sydere cæli*.  
 Vers. 128. *Cum pandit vestes Flora rubente polo*.  
 Sic emendavimus partim ex ms. Sangerman., partim  
 ex editis. Ms. habet:  
 Cum pandit vestes flore rubente polo.  
 at editi legunt:  
 Cum pendens vestit sole rubente polus.  
 Vers. 129. *Fulgent*. Ms., *Fulget*.



- Et puro cornu gemmea cuspis hiat.  
Ingentes oculos credas geminos hyacintos ;  
Quorum de medio lucida flamma micat.  
Æquatur toto capiti radiata corona ,  
140 Phœbei referens verticis altâ decus.  
Crura tegunt squamæ flavo distincta metallo :  
Ast ungues roseus pingit honore color.  
Effigies inter Pavonis mixta figuram  
Cornitur, et pictam Phasidis inter avem.  
145 Magnicetum, terris Arabum quæ gignitur ales ,  
Vix æquare potest, seu fera, seu sit avis.  
Non tamen est tarda, ut volucres, quæ corpore  
[magno  
Incensus pigros, pergrave pondus habent :  
Sed levis et velox, regali plena decore.  
150 Talis in aspectu se exhibet usque hominum. B  
Huc venit Ægyptus tanti ad miracula visus ;  
Et raram volucrem turba salutat ovans.  
Protinus exsculpunt sacro in marmore formam ;
- A Et signant titulo remque diemque novo.  
155 Contrahit in cœtum sese genus omne volantum  
Nec prædæ memor est ulla, nec ulla metus  
Alituum stipata choro volat illa per altum ;  
Turbaque prosequitur munere læta pio.  
Sed postquam puri pervenit ad artheris auras ;  
160 Mox redit ista ; suis conditur ille locis.  
At fortunatæ sortis filique volucrum,  
Cui de se nasci præstitit ipse Deus!  
Fœmina sit, vel mas, seu neutrum, seu sit utrum  
[qu  
Felix, quæ Veneris fœdera nulla colit.  
165 Mors illi Venus est ; sola est in morte voluptas  
Ut possit nasci, hæc appetit ante mori.  
Ipsa sibi proles, tuus est pater, et suus hæc  
Nutrix ipsa sui, semper alumna sibi.  
Ipsa quidem, sed non eadem, quæ est ipsa, n  
[ipsa e  
170 Æternam vitam mortis adepta bono.

## VARIORUM NOTÆ.

Vers. 136. *Et puro cornu*, etc. Rostrum cornu quidem esse dicit, sed ita lucidum, ut gemma esse videatur.

Vers. 137. *Ingentes oculos credas*, etc. Sic lege ex ms. Vossiano.

Vers. 139. *Corona Phœbei verticis*. Id est, radii Solares.

Vers. 142. *Roseus*. Ms. Sangerm., *Rosco*.

Vers. 144. *Phasidis avem*. Id est, Phasianam, a Phaside fluvio Colchidis nominatam, ad nos per Argonautas advectam. Martialis Epigram. lib. xiii, 72.

Vers. 145. *Magnicetum*. Quæ sit hæc avis ignoratur, vel forte pro magnitudine.

Vers. 151. *Huc venit*. Ita Sangerm ms. ; editi vero, *convenit*.

Vers. 153. *Exsculpunt*. Sic ms. Sangerm. et alii ; editi vero legunt, *Insculpunt*.

Vers. 155. *Genus omne volantum*. Qua de re vide Claudianum, vers. 76, etc.

Vers. 157. *Alituum*. Pro *alitur* ; sic Virgil. Æneid. 8 :

Alituum pecudumque genus sopor altus habebat.

Vers. 158. *Munere læta pio*. Id est, pietatis et reverentiæ officio erga tantæ dignitatis avem. *Munere*, Heinsius emendat male, *murmure*.

Vers. 160. *Mox redit ista suis ; conditur ille locus*. Sic legimus in ms. Sangerman. alioque veteri a Galæo memorato ; in editis legitur,

Mox redit illa ; suis conditur inde locis,

nec male.

Vers. 161. *At fortunatæ sortis filique volucrum*. Hæc est emendatio Heinsii, referentis filum ad Parcas,

Quæ dispensant mortalia filia sorores :

C verum ms. Sangerman. legit.

At fortunatæ sortis, felixque volucrum.

Gallæus putat legendum esse :

O fortunatæ sortis, fatique volucrum ;

editi habent

Hæc fortunatæ sortis, fatique volucris.

Vers. 165. *Fœmina sit, vel mas, seu neutrum, sit utrumque*. Ita emendavimus ex ms. Sangerm. et editione Heumannii. Vulgati habent :

Fœmina vel mas hæc, vel neutrum sit magis felix.

Vers. 169. *Quæ est ipsa*. Ita ms. Sangerm. E habent, *quia et ipsa*.

## INCERTI AUCTORIS CARMEN

## DE PASSIONE DOMINI.

Quisquis ades, medique subis in limina templi,  
Siste parum, insontemque tuo pro crimine passum  
Respice me ; me conde animo, me in pectore serva.  
Ille ego, qui casus hominum miseratus acerbos.  
5. Huc veni pacis promissæ interpret, et ampla  
Communis culpæ venia : hic clarissima ab alto  
Reddita lux terris, hic alma salutis imago ;  
Hic tibi sum requies, via recta, redemptio vera,  
Vexillumque Dei, signum et memorabile fati.  
10. Te propter vitamque tuam sum Virginis alvum

D Ingressus, sum factus homo, atque horrentia passum  
Funera ; nec requiem terrarum in finibus usquam  
Inveni, sed ubique minas, sed ubique labores.  
Horrida prima mihi in terris mapalia Judæ  
15. Hospitia in partu, sociæque fuere parenti.  
Hic mihi fusa dedit bruta inter inertia primum  
Arida in angustis præsepibus herba cubile.  
In Phariis primos vixi regionibus annos,  
Herodis regno profugus ; reliquosque reversus  
20. Judæam, semper jejunia, semper et ipsam